



PSALMVS PRIMVS. ARGUMENTVM.

PRIMVS Psalmus
titulo caret apud
Hebreos, nec desunt,
qui putent eum esse
Esdra, qui Psalmos in
ordinem digessit, sed
communiter tribuitur
Danidi ab Ambroso, Hilario, Basilio,
Augustino, & ceteris. Ipse etiam S. Hieronymus,
qui alioqui multos facit auctores Psal-
morum, hunc primum Psalmum Davidum esse
dicit in Epist. ad Paulinum de studio scriptu-
varum. Denique in textu Graco additus est
titulus siue à Septuaginta, siue ab alijs, Da-
vid Prophetæ, & Regis melos. Aptissimè an-
tem ponitur hic Psalmus in primo loco, quia
de beatitudine tractat: beatitudo enim est
fundamentum, & principium doctrina mo-
ralis. Argumentum igitur Psalmi est ostende-
re beatitudinem siue in spe, siue in re non con-
tingere, nisi hominibus iustis, proinde iustitia
dandum esse operam, ut ad beatitudinem
perueniamus.

EXPLICATIO PSAL. I.

I. **B**eatus vir, qui non abiit in consilio
impiorum, & in via peccatorum
non stetit, & in cathedra pestilentiaz
non sedit.

In primo, & secundo versiculo Propheta docet, beatitudinem, quatenus in hac vita haberi potest, non consistere in alia re, quam in vera iustitia. Quod ipsum docet Apostolus Rom. 14. Regnum Dei non est esca, & potus, sed iustitia, pax, & gaudium in Spiritu sancto. Soli enim homines verè iusti, sunt amici Dei, immo & Filii, ac

per hoc hæredes Regni, & spe beati, quod attinet ad perfectissimam felicitatem: & hic interim solido gaudio, & pace, quæ exuperat omnem sensum, perfruentes. Describit autem in primo versu hominem iustum per negationem, in secundo per affirmationem, ac si breuiter dixisset, illum esse iustum, ac per hoc beatum, qui declinat à malo, & facit bonum.

Illud autem hoc loco diligenter notandum, & memorie commendandum est, consuetudinem Davidis, & aliorum Prophetarum esse, ut id ipsum bis repeatant, ita ut una pars versiculi sit repetitio, vel explicatio alterius. Exempli gratia Exod. 15. in Canto Mosis, Iste Deus meus, & glorificabo eum, Deus patris mei, & exaltabo eū. Deuteronomio 32. Concrescat ut pluia doctrina mea, fluat ut ros eloquium meum. Psalmo 33. Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo. Hæc frequentissimè occurunt, cum sit hæc repetitio genus ornamenti proprium sanctorum Prophetarum. Prima igitur pars primi versiculi hanc sententiam continet, beatum esse illum, qui non præuaricatur legem Dei. Sed Poetico more David hanc sententiam expressit per metaphoram viæ, & ambulationis. Beatus, inquit, vir, qui non abiit in consilio impiorum, id est, ille beatus est, qui iustus est; ille autem iustus est, qui non abiit in consilio impiorum, id est, qui in via vitæ non est sequutus consilia, leges, sententiam impiorum, quæ sunt omnino contraria viæ Dei, id est, legi Dei. Altera pars eiusdem versiculi idipsum explicat aliis verbis idem significantibus.

A

Nam